GREGORIUS I. MAGNUS
Österreich (?), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 150r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36640
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



atq; iterum domum rediens et semetipsum recludens
semper suae uoluntatis arbitrium ad diuini eloqui precep
tum frangat. quatenus in caelesti uisione suspensus
non sua sed conditoris sui uoluntatem impleat;
Cui dicitur, Et tu fili hominis ecce datas super te uincula
et ligabunt te in eis. et non egrediens in medio eorum;
Qua in re notandum est quod aduersa prophetia prenoscit. ut
contra omnia paretur; Minus enim mala contra mentem
preualent quae inopinata non ueniunt. et tamen dum
contraria prenoscuntur. quam sit in eo oboedientiae uir
tus ostenditur. qui et cognoscit quod aduersa passurus est.
et tamen uoci dominicae inoboediens non est; Magna
autem consideratione indigent uerba quae protinus adduntur;
Et lingua tua adherescere faciam palato tuo et eris
mutus nec quasi obiurgans. quia dominus exasperans est; dis
cernendum quippe nobis est utrum pro solis malis auditoribus;
An aliquando etiam pro uitio predicantis predicationis ser
mo subtrahatur; Quattuor enim qualitatibus res haec con
siderata distinguitur; Nam aliquando propter malos au
ditores bonis tollitur sermo doctoribus; Aliquando uero
propter bonos auditores. datur sermo doctoribus et malis;
Aliquando autem propter docentium atque audientium. iustifi

catione